

aliis fuerunt deputati, videlicet Fedrus sacrista, secretarius Arborensis, dominus Franciscus Armelinus, Ruiminus de Gentilibus et Petrus Rainardi intrarunt ad dominos reverendissimos cardinales in congregatione petieruntque gratias pro conclavistis, quas ipsi conclavistæ summo omnium consensu obtinuerunt, et conclavistæ scripturam capitulorum absolverunt; quæ capitula, videlicet secreta, per ipsos dominos cardinales subscripta fuere; custodes vero extra conclave existentium cibaria cardinalium ad unum ferculum restrinxerunt.

Die mercurii, hora consueta, reverendissimi domini cardinales audiverunt missam cum solitis croceis, et deinde intrarunt locum congregationis ubi publica capitula subscripserunt, et postea in capella Sancti Nicolai solita, omnibus cardinalibus in suis locis sedentibus et per Fedrum convocatis notariis omnibus in conclavi existentibusque pluribus testibus, factoquæ circa capitula huiusmodi convenienti verborum progressu, omnes cardinales huiusmodi capitula se inviolabiliter observare velle, ambabus manibus tactis sacrosanctis scripturis ad Sacra Dei Evangelia iurarunt quod voverint; de quorum juramento notarii omnes conclavis fuerunt rogati adhibitisque pluribus testibus. Quo facto, lectæ fuerunt litteræ domini Joannis Gozadini super revolutionem et defectionem Placentiæ et Parmæ ad ducem Mediolani hispanorum opera; et postea quilibet cardinalis ad suam celulam reversus fecit prandium. Sumpto autem prandio, circa hora XXI fuerunt per sortes extracta officia terrarum Ecclesiæ quæ inter ipsos cardinales divisa, hora autem XXII, reverendissimi domini cardinales congregaverunt se in loco solito, steterunt in congregatione huiusmodi usque ad horam primam noctis. In qua congregatione, disputatum fuit de votis publice vel secretis dandis, et conclusum fuit ut publice da-

42

rentur. Et eadem die, custodes conclavis extra portam ipsius conclavis existentes, decreverunt quod non intrmitterent neque intromissa extraerentur, et epula in victibus cardinalibus aportari ordinaverunt et ita factum fuit; et eadem diē restrinxerunt victum et solummodo insalatam cum pane et vino dare permiserunt.

Die vero Jovis, reverendissimi domini cardinales, hora consueta, cum croceis audiverunt missam, qua finita, magister cerimoniarum jussit apportari scabella cum carta et caramale et aliis instrumentis ad scribendum, et in capella Sancti Nicolai accensis luminaribus et in ordine cardinalibus sedentibus et scabella cum instrumentis ad scribendum ante se

habentibus, bullam felicis recordationis Julii secundi contra simoniacam electionem pontificis legi ordinarunt, et conclavistas omnes abire jusserunt, seque omnes cardinales in capella Sancti Nicolai, ut præfatur, permanentes, ad primum scurtinium faciendum clauserunt. Conclavistæ vero in capella magna Sancti Sixti a magistris cerimoniarum clausi sunt, qui ibidem congregationem fecerunt, omnesque conveniunt et se obligaverunt et quilibet eorum se obligavit, ut quisque dominum suum ad pontificatus apicem assumptum videret, se habere et solvere pro camera domini sui sic assumpti mille et quadringentos ducatos de camera auri inter conclavistas proportionabiliter distribuendos; et de hoc fuit rogatus Dominicus de Jum.... apostolicæ cameræ notarius.

Primum scurtinium.

Voces

0. Cardinalis Sanctis Georgii elegit Arborensis, Senegalia, Frenesium.
2. Grimanus — Arborensis, Strigoniensis, Adrianum, Frenesium.
4. Vulteranus — Arborensis, Aginensis.
1. Senegaliensis — Arborensis, Fliscum, Finarium.
8. Strigoniensis — Arborensis, Nantes, Frenesium.
1. Surentinus — Arborensis, Nantes, Sanctis Vitalis, Anconitanum.
7. Fliscus — Finarium, Nantes, Aginensis.
3. Hadrianus — Arborensis, Anglia, Strigoniensis, Surrentum.
5. Finarius — Arborensis, Strigoniensis, Fliscum, Aginensem.
4. Nantensis — Vulteranum, Grimanum, Fliscum, Aginensem, Finarium.
13. Arborensis — Hadrianum, Vulteranum, Strigoniensem, Fliscum.
8. Aginensis — Bononiensis, Strigoniensis, Adrianum, Nantes.
0. Vicecancellarius — Fliscum, Finarium, Aginensem.
2. Anglia elegit dominum Fabricium de Careto fratrem reverendissimi domini Finarii; ex Collegio facta fuit dicta electio et in laicum.
4. Sancti Vitalis — Arborensis, Fliscum, Vulteranum, Strigoniensem.
0. Sedunensis — Medicis.
7. Anconitanus — Arborensis, Aginensis, Finarium, Bononiensis.
3. Bononiensis, sive Grassis, — Arborensis, Strigoniensis, Aginensis, Sanctis Vitalis e Anconitanum.